

non uno argumento, non socors rei nummariae scrutator, *Petitus* nobis commendavit. In primis multis antiquitatis pariter ac raritatis argumentis illi sese commendant nummi, qui Amazonas habitu virili ornatas exhibent. Sicut tales delineatos ex percelebris in re nummaria viri *Patini* Thesauro & ex reconditis *Goltzii* ectypis *Petitus*, Cap. XXI. a) eosque a Thyatirenis & Smyrnaeis consensu percussos ex inscriptionibus eorundem comprobat: & in aliis etiam nummis Amazonas cultu virili, ut in isto Caracallae, quem Regia Gaza Parisiensis asservat, videri testatur. b) Neque desunt, in quibus Amazones veste ad talos demissa & plane muliebri amictae spectantur: Unde talis iconis nummum ex *Tristano* Noster c) delineavit. Porro alia prostant numismata, in quibus Amazones expressae cum hastis & bipennibus apud *Patinum*, *Sequinum*, *Caninium* d) exhibentur. Uti enim Amazonas primas omnium ausas equum conscendere atque hostes alienis pedibus insequi aut fugere Orator *Lysias* e) testatur: Ita a Penthesilea, Amazonum Regina, securim fuisse inventam refert *Plinius* f) & *Horatius* g). *Lipsius* h) peltae seu scuti Amazonum figuram exhibet ex veteri marmore: & ejus locum illustrat nummus a Smyrnaeis in Juliae Moesae gratiam fabricatus, in quo Amazon stat capite turrato, laeva peltam & bipennem, dextra vero templi imaginem sustinens i). Ac dum haec sub prelo sudant, ostenditur nobis forte rarissima gemmae annulariae effigies, quae Orithyiam, capite galeato, & sparsis super humeros capillis sistit cum hac literaturae perverteris inscriptione: AMAZON OPIOTIA: Quam vel ideo nummis miscere placuit, quia gemmae tales pari cum nummis fato ex terris effossae eodem etiam cum nummis pretio habentur. Reliqua numismata Amazonia, ex quibus Smyrnam, Thyatiram, Myrinam, Comam, Amisum, Amestrem, Synopen, Magnesium &c. urbes ab Amazonibus conditas, *Petitus* k) arguit, apud eundem videantur. Ex Togatarum Heroicum nummis, quos plures dari fatemur, unicum tantum in celeberrimae Do-

- a) de Amazonibus p. 132. sqq. b) p. 134. l. c. c) *Petit.* l. c. p. 136. d) v. eundem *Petit.* l. c. p. 159. 162. e) in funebri oratione eius τῆς τῶν Κορυθαίων Βοηθῆς. f) L. VII. c. 56. g) L. IV. Od. 4. h) in *Analectis ad militiam Romanam*, i) *Pet.* l. c. p. 187. k) cujus apud *Just.* L. II, C. IV. mentio fit.